

dirigitur. Neque magis *Ambrosii Mediolan.* est, cujus aetas Simonia, in quam magna parte Noster invehitur, tantopere non laboravit. Reperitur tamen in plurimis Codd. *Ambrosio* inscriptus, ut habes in Edit. *Mauriana Opp. Paris.* 1690. T. II. *adpend. col. 357.* in *Admonit.* quae *Sermoni* huic vel *Traſtatui* praefixa est. Unum modo reperit *Mabillonius*, in quo *Gilberti* (Gerberti) *Philosophi Papae Urbis Romae, qui cognominatus est Silvester* (II.) dicitur; Verum et ab hoc *Anal. Vet.* T. II. p. 216. publicato, et ab omnibus, quos adhibuere *Ambrosii* Editores *l. cit.* Exemplum nostrum elocutione plurimum differt. Argumento sit ipsum Exordium nostrum. *Si periculum Damnationis eterne quam nequam seruus pro retenta pecunia domini sui meruit, uolumus euadere fratres karissimi. sollicite considerare debemus. quam terribiliter euangelicus sermo eum increpat dicens. Serue nequam &c. — Quisquis igitur nostrum huius damnationis miseriam euadere desiderat. non iam otiosus et negligens auditor huius sermonis existere debet &c.* Atque ita res eadem per decursum jam uberior, jam contractius dicuntur, quam in Editis. Ultima sunt: *Et presta ut faciant que in hoc opusculo ipse loqui inspirasti. ut eis una mecum tribuas regna celorum. que sanctis tuis omnibus promisti dare. tibi laus. tibi gratiarum actio. tibi honor uirtus et potestas. per infinita secula seculorum. Amen.* Adlocutionem hanc fortassis olim in

Synodis pro *Formula* adoptatam fuisse, atque inde stili diversitatem manare coniectet aliquis; non enim desunt Exempla.

VI. fol. 39. *Incipiunt Excerpta de Libro Scintillarum. De Compunctione. Hier. Non minus laudandus est uir fortis in lectu, quam qui in bello. &c.* Liber *Scintillarum* extat T. VII. *Opp. Bedae Colon.* 1688. col. 370. f. Ordinem *Capitum* non est secutus *Excerptor*, et sub finem adnexuit quaedam: *De Ordine vivendi. De Avaricie Morbo. De Quatuor Virtutibus. De Oſto Viciis Principalibus. De X. Plagis et X. Preceptis. De S. Maria. V.* (idem, quod supra jam N. I.) *De tribus Dietis*, et in *Evangelium Dominicae Palmarum.*

XCVII. *IX. F. 21.*

Codex chartaceus lat. Sec. 506 XVI. Folior. 181. 4. initio ducto a fol. 37. complectitur *Sequentia*: I. *Expositionem super Cantica canticorum Petri de Alliaco Card. Ep. Cameracens.* defuncti a. 1425. quae incipit: *Osculetur me osculo oris sui. Iste liber dicitur canticum amoris: vel canticum cantici &c.* et lucem vidit teste *Mich. Maittaire* unacum *Traſt. de Vita Christi, Paris.* 1483. 4. et cum pluribus aliis *Petri Traſtatib.* *Argent.* 1490. f. a qua Editione, ut ait *Oudinus T. III. col. 2296.* abest *Descriptio Visionis de Horto S. Scripturae* cum longa et eleganti *Praefatione* composita a. 1374. quae nec in *Exemplo* no-

stro

stro adparent, quod annum scruptionis 1538. praefert.

II. fol. 93. p. 2. Sermones incipiunt, quorum hi Tituli: *In die Natiuitatis precelse genitricis Dei Marię. Epilogus de quadruplici exercitio spirituali. Anno 1538. ipso die Egidij qui erat dies dominicus factus est a me iste sermo in monasterio monialium S. Marię Magdalene Spiris in assumptione cuiusdam Virginis novitię. In Primitijs apud Sepulchrum domini. Spirę. In die Corporis Christi. In Ferijs Petri et Pauli Apostolorum. In Ferijs S. Dominici. Dominica infra Octauas Assumptionis in monasterio monialium S. Marię Magdalene in susceptione vnius Novitię. 1538. In Ferijs Diui Bartholomei.* Sermones hos eodem Loco, Anno et Calamo scriptos, quo sequens Opusculum, vix dubium est pertinere ad celebrem Ecclesiae Rom. Catholicae Theologum Johannem Cochlaeum.

III. fol. 171. inscribitur hoc Opusculum: *De immensa dei erga Germanos Misericordia.* Praefamen incipit: *Joan. Cocleus Alexandro Cardinali Rom. Ecclesię. Reuerendiss. domine. illustriss. princeps. Quam fauens fuerit semper inclita Farnesiorum domus bonis ac pijs literarum studijs, multis sane beneficiorum et gratiarum erga literatos argumentis per annos XL. suo in Cardinalatu declarauit sanctissimus dominus noster Paulus Papa III. R. D. T. Patruus magnus &c.* Tractatus ipse: *Rede profecto ac vere meritoque dicimus nos Germani cum Hierę. propheta:*

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

*Misericordię domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. &c.* Ducto porro ab antiqua Ecclesia initio damna recenset a Diffensionibus in Religione caussata, delapsusque ad *Bobemiae* Regnum imaginem ejus ante et post *Job. Hussi* tempora vivis coloribus exprimit. At vero *Hussum* longe tolerabiliorem fuisse *Mart. Luthe-ro*. Quod — *declarare intendo ex breui quodam libello sermonum Hus, quem Prage nuper a quodam Canonico Pragensi commodatum accepi, cui unicum Lutheri sermonem, quem citra delectum e postilla eius legendum eius rei gratia in manus recepi, opponam.* En Opusculi argumentum, quod subscribitur: *Spiris ipso die sexto idus Maias Anno nostrę salutis. 1538.* Altum de eo apud Bibliographos, quos ad manum habeo, silentium, neque in *Cochlaei Libris III. Miscellaneor. Ingolst. 1545.* 4. reperitur. Impressum tamen fuisse docet ipse Autor in *Catalogo Brevi Eorum, quae contra Novas Sectas scripsit. Mogunt. 1548. 8.* ubi ad an. 1538. ejus diferte meminit. Sed nempe *Catalogus* hic ipse aequè rarus videtur ac *Nostri Vita Theodorici Regis Ostrogoth.* quam ante Editionem *Holmiae* a se 1699. procuratam in *Suecia* manu describi solitam fuisse *Job. Peringskioldus* testatur. Quo loco doctorum Catholicorum *αμελειαν* mirari satis nequeo, qui in congerenda praecipuorum Religionis suae aevo illo Statorum, puta *Cochlaei, Emseri,*

*feri, Fabri, Nauseae &c.* Historia literaria tam facile a Protestantibus se vinci patiuntur. Dabo vel solum *Dav. Clementem* de *Cochlaeo* in *Biblioth. cur. Hist. et Crit.* T. VII. p. 199.

IV. fol. 200. resumuntur eadem manu Sermones, qui sunt: *Dominica 2. post octavam pasce. Deuota meditatio super Salutationem Angelicam*, subscripta 1538. in *Vigilia Assumptionis deipare Virginis Marię. Sermo in festo Assumptionis Marię.* 1538. Denique *In Festo dedicationis in Monte S. Guidonis* (Abb. de *Pomposio*, cujus Corpus *Henricus III. Imp.* ex *Italia Spiram* detulit) 1538. Hos quoque ad *Cochlaeum* pertinere ex ratione supra adducta non ambigo. Quibus, si ex *Ejus Opp. Catalogo cit.* addas: *Scopam in Araneas Ricardi Morysini Angli, De Edictis et mandatis Imperatorum et Regum pro Catholica Religione, et Censuram in Disputationem V. Lutheri contra Antinomos*, non negaveris annum 1538. laboriose ab ipso exactum fuisse.

XCVIII. VIII. 9. 17.

593 Codex membraneus germ. Sec. XI. Folior. III. 4. luculente scriptus, rubricis ornatus, optime servatus et olim, ut in calce notatur, *Sancti Trudperti martyris*, id est, antiquissimi Coenobii O. S. B. in *Brisgoja* continet Commentaria in *Canticum Canticor. Willeramii Abb. Eberspergensis* Paraphrasin *Theotiscam* in *Canticum* dedimus

*Codd. XLIV. et XLV.* Hanc pone sequitur fusior isthaec *Explanatio*, quae *Sponsum Christum* et *Sponsam B. V. Mariam* interpretatur. Titulum miniatum praefert: *Incipit prologus ad cantica canticorum.* Prologum hunc de *Donis divini Spiritus, Vitiisque* iisdem oppositis tractantem, docentemque, qua ratione praeparandus sit ad *Eum* recipiendum animus, integrum hic exhibere visum est, quo constet *Lectoribus* de *Autoris Stilo*, qui cum a *Willeramiano* pene nihil differat, fortasse suspicari liceat, hanc quoque *Explanationem* ex eodem *Fonte* promanasse. Ita vero ille:

*Wir wellen kosen von deme oberosten liebe der meisten gnade. der raweklikesten suzi, da ist der heilige geist Wir geistlichen mennisken. Spreken mit rehte von deme geiste. der ort habere ist des unseren namen. der si ein bobet unserer worte. Der heilige geist ist ein lieb. der tieuil zeigt dir och sin lieb. der tieuil bat mandunge trost. minne. der heilige geist ist da uür. der tieuil ist alsame. De doch der heilige geist emphabet unde eitet. brennet unde zerlat. da golt odir da silbir. der tieuil inphabet da susphalose holtz. vñ Swerzet er zem ersten mit suggestione (supra scriptum ut et deinceps, Schuntesunge) so brinnet er von delectatione (geluste) so glut er alsein zandere von consensu (willen) so wirt er ein ualwiske von ope. Der aske genazzet von consuetudine (gewonebeit) so wirt der menniske ein valthore. Der hei-*